Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Et si quidem longe uite erunt in uindictam computabuntur. et sine honore erit
nouissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint non habebunt
spem. nec in die agnitionis adlocutionem. Rationes enim iniquorum dure sunt
consummationis. O quam pulchra est casta generatio cum claritate. Immorta
lis est enim memoria illius. quo et apud deum nota est et apud homines. Cum
presens est imitantur illam et desiderant eam cum se eduxerit et in perpetuum coro
nata triumphat. In quo inquinatorum certaminum premium uincens. multigena
autem impiorum multitudo non erit utilis. et suspicia plantationis non dabunt
radices altas. nec stabile firmamentum conlocabunt. et si in ramis interim
germinauerint infirmi posita auentorum commouebuntur. et a mutatione uen
torum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconsumati et fructus illorum in
utilis. et acerui ad manducandum et ad nichilum apti. Exiguus enim fi
lius quam nascentur. testes sunt nequitie aduersus parentes in interrogatione
sua. uisus autem in morte preoccupatus fuerit in refrigerio erit. Senectus
enim uenerabilis est non diuturna. neque numero annorum computata. Cani
sunt autem sensus hominis. et etas senectutis uita immaculata. Placens deo
factus dilectus. et uiuens inter peccatores translatus est. Raptus est ne mali
cia mutaret intellectum eius. aut ne ficto deciperet animam illius. Fascinatio
enim nugacitatis obscurat bona. et inconstantia concupiscentie transuer
tit sensum sine malicia. Consumatus in breui. expleuit tempora multa.
Placita enim erat deo anima illius. Propter hoc festinauit educere illum de me
dio iniquitatum. Populi autem uidentes et non intelligentes. nec ponentes
in animo talia. quoniam gratia dei et misericordia est in sanctis eius. et respectus in electos illius. condempnat autem iustus mortuus iniustos. et iuuenis
celeriter consummatus longa iuta iniusti. Videbunt enim finem sapientis. et non
intelligent quid cogitauerit de illo dominus. et quare munierit illum dominus.
uidebunt enim et contempnent. illos autem dominus irridebit. et erunt post hec
decidentes sine honore. et in contumelia inter mortuos in perpetuum. quo